

Dissertatio physica de mente humana ... / respondens Christianus Jacobus Thryllitius.

Contributors

Thryllitzsch, Christian Jakob.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae : Excudit Jo. Christophor. Brandenburgerus, [1702]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e4rg92vc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

3. 2x
Q. D. B. V.
DISSERTATIO PHYSICA
**DE MENTE
HUMANA,**

QVAM,
AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
INDULTU,

IN
INCLUTA PHILYREA

Die 15. Febr. A. clō 1000.

H. L. Q. C.

Publico placidoque Eruditorum examini
submittent.

P R Æ S E S

**M. GEORGIUS JOHANNES
CONRADI,**

RIGA LIVONUS,

ET RESPONDENS

CHRISTIANUS JACOBUS THRYLLITIUS,

GNANDSTEIN, MISNICUS,

SS. Theol. Studios.

L I P S I Æ,

Excudit JO. CHRISTOPHOR. BRANDENBURGERUS.

polliceri, summæ foret arrogantia; fatentur enim Philosophi præstantissimi, nulli, quid mens sit, facile constare, (c) & animum divinum corpore liberatum, a nobis cogitatione comprehendendi nequire, (d) mentemque ipsam de Natura sua, nil fere, nisi omnia ignorare; (e) quibus quidem lubentes nostrum dicamus assensum. Verum non obstante, quod scientia naturalis rem à materia abstractam, qualis animus noster est, contemplari perfecte non possit, (f) nec cognitio mentis nostræ lucida, distincta, adequata atque completa ex lumine rationis, quantumvis pleno, haberi queat, (g) omnem prorsus vel saltem generaliore rationi auferre de mente conceptum, [si quid nostri est iudicii] injuria foret. Idcirco relicta ulterioris præfaminis evagatione, institutum ipsum ordimur, Teque, humanissime Lector, æquum nobis iudicem pollicemur.

(a) Job. Clauberg. in operibus Philos. p. 187. (b) Arist. Lib. I. de anim. c. 1. (c) Seneca Lib. VII. Nat. quæst. c. XXIV. (d) Cicero Tusc. quæst. Lib. I. (e) D. Titius præf. ad Art. cog. ab initio. (f) Arist. 1. c. Lib. I. c. 2. (g) Poiret in cogit. rational. de Deo, anima & malo, Discurs. prælim. p. 18. n. XXXIV.

DISSERTATIO.

§. I.

IN omni re pervolvenda, ut in antecessum de vocibus, quibus illa exprimi atque nuncupari solet, quanam nempe genuina illarum sit significatio, conveniatur, necessitas svadet, quo animi sensa, quæ verborum expressione e cordis penetralibus depromi, & hominibus ad audiendum atque pensitandum proponi solent, eo commodius edantur: Idem jam & nostri esse, non diffitemur, hinc, quomodo, quibusve & quot vocabulis, illud, quod per mentem humanam intellectum volumus, determinetur, & quanam appellationes ipsi propriæ, quæ vero impropriæ sint, explicare tentabimus.

§. II. Itaque nulli non, nisi a civitate latina prorsus alieno, constet, ut plurimum incorpoream hominis partem, de qua agere institutum nobis est,

est, vel *animam*, vel *animus*, vel etiam *mentem* audire, singulae vocis eruenda erit significatio. De vocabulo *anima* e bonis Authoribus probatur, quod improprie, & late admodum invisibile illud in homine exprimat; quippe derivatur a græco ἀνιμῶν, quod latine redditum, notat ventum, flatum atque halitum. (a)

(a) Confer. *Cicer.* Tusc. q. Lib. I. c. 11. *idem* in *Verrem.* 5. c. 58. *Plautus* *Asin.* a. 5. sc. 2. *an faciet ipsi anima*, stinckt ihr der Althem? *idem* *Mercat.* a. 3. sc. 3. *Horat.* Lib. IV. od. 12. *anima Thracia*, Thracische Winde / *Cartesius* *Epistolarum* P. II. *Epist.* 54. ubi *anima* oris halitus dicitur.

§. III. Equidem non est inficiandum, adhiberi etiam hanc vocem in exprimenda incorruptibili nostra portione, raro tamen, uti & monuimus, impropria valde significatione: in genuino vero atque strictissimo suo sensu illud designat, quod græcis ψυχή, id est, vita audit, atque ita anima stricte sic dicta, est *facultas & vis, qua sentit corpus atque vivit, quæque hominibus communis est cum brutis, imo nihil aliud, quam ipsa illa vita, quæ nobis adimi & extingui potest; non autem, qua sapimus, intelligimus & æterni sumus.*

§. IV. Altera vox *animus* ejusdem est originis & derivationis, nec paucioribus gaudet significationibus, ac *anima*; attamen propius & in sensu specialiori, nihilominus non omni ex parte genuino, ad notionem ejus in nobis portionis, qua immortales existimus, accedit. Vis illius genuina est, ut totum illud in homine signet, quod corpus non est, nunc enim animam notat animale, nunc vero rationale, hinc *Cicero* in *Libro de Divinatione*, animum in duas divisit portiones, quarum alteri sensum, motum & appetitum, alteri vero intelligentiam tribuit.

§. V. Tertium autem vocabulum, *mens*, quod ut placet *Gerardo Vossio*, (b) a græco μέν [i. e. animus] derivatur, nulli fere Authorum alio modo in usu esse, quam ut per illud, supremum intellectuale, quo divinam repræsentamus imaginem, & quo Optimus Rerum Pater, mortalibus nihil præstantius contulit, definiant, nec tyrones latinitatis latere, omni posthabito dubio credimus; Eapropter in re tam clara prolixior explanatio superflua foret, ideoque de oculis hæc monuisse sufficiat.

(b) *Lib. IV. Instit. Orat.* c. 13. p. 203.

§. VI. Pergimus itaque ad ipsam *Mentis* contemplationem, & quidem primo loco ejus enucleabimus originem, in quo negotio certum est & antiquos & modernos Philosophos saniores eatenus conspirare, ut mentem hominis primam a DEO immediate procreatam esse, vel originem suam

trahere, nulli inficias eant; sed in propagatione ejus, qua ratione illa fiat, multi multum ab invicem distant. Alii enim, inter quos Rabbīnorum quidam Hebræorum, *mentes omnes in primo creationis exordio, in spatii nescio quibus, extra mundum creatas, ibidem peccasse, atque adeo consequenter in hunc mundum missas & corporibus immerfas esse, quo ibi pœnitentiæ & purgationi suæ vacarent, credere feruntur; (c) cui opinioni subscribere videtur Socrates apud Platonem in Phædone, existimans, animum antequam corpus intraret, in rerum cognitione viguisse, (d) quod idem est, ac si cum præexistisse dixisset; imo neque a Cicerone aliisque sententiam hanc alienam fuisse, apparet e verbis illorum, quibus diserte tradunt, animum esse cœlestem, ex altissimo domicilio depresso, & quasi in terram demersum, locum divine naturæ æternitatisque contrarium. (e)*

(c) Confer. P. Galatin. Lib. II. de arc. cathol. verit. c. 3. Poiret l. c. p. 51.

(d) Cicero Tusc. quæst. Lib. I. (e) Idem de Senectute.

§. VII. Ast alii hæc limitibus necdum sese continentes præter animarum præexistentiam, earundem quoque e corpore in corpus aliud transmigrationem, quam *μετεμψύχωσις* vocant, absque hæsitacione docuerunt. Vulgo Pythagoræi hujus de transfusione mentium opinionis accusantur; (f) Verum neque inter Christianos defuere, quibus illa arrisit conjectura, cum & celeberrimus Franciscus Mercurius Helmontius, vir sane ingenii alias limatissimi, eam a Comite quadam in Anglia accepisse, (g) sancteque fovisse, atque in Libello quodam Anonymo *Seder Olam* s. *Ordo seculorum* inscripto, tradidisse, (h) dicatur. (i) Cum autem hi omnes problematice tantum suos tradant sensus, ut eo facilius rationibus probantibus superfedere queant, non est, quod illos multum moremur: Si quem de hoc argumento quædam evolvere juvat, adeat *Pegani* Tractat. germanicum *Eigentliche Erklärung über die Gesichter der Offenbahrung St. Johannis* 2c. [qui itidem Helmontii foetus creditur] *Ambrosii Rhodii* Dialogum de transmigratione animarum Pythagor. *Paganinum Gaudentium*, de transmigr. anim. *Pauli Slevogri* Disp. de Metempsychosi Judæorum, Jenæ 1650. item Magnifici ac Spectatissimi Domini Doctoris *Johannis Schmidii* solidissimam Dissertationem inaugur. De reditu animarum in corpora &c.

(f) *Diogenes Laërtius* in vita Pythagoræ. (g) *Cræf. Histor. Quack. Lib.*

II. (h) vide *Rosteuscherum* Hendecad. thes. theolog. thes. 6. (i)

Arnold. Hist. Eccl. P. III. cap. 8.

§. VIII. Verum licet & ipsimet ethnici vel ex solo naturæ lumine indubitate cognoverint, genuinam atque summam mentis nostræ originem,

cau-

causamque primam ipsummet esse DEUM; alii enim eam divinam esse, alii coelitus descendisse dixere: (k) Nihilominus non desunt, qui, si non expressis, totidem tamen terminis contrarium edocent. Quippe miserandus ille Benedictus Spinoza, homo polytheo quovis pejor, plus quam gentilis & Atheus, cum plena asseclarum suorum caterva, metu Numinis Terque quaterque Sancti semel excusso, præcipere non erubuit, primum *reale esse mentis constituens*, esse ideam rei alicujus singularis, (l) *res vero singularis idem ipsi est ac res finita*: (m) Ex quo hocce elicitur argumentum, *cujuscunque esse reale principaliter ab idea rei finita constituitur, illud cessante re illa finita, etiam existere deficiet; atqui mentis esse reale primum ab idea rei finita constituitur, ergo cessante re finita, etiam mens cessabit*. Minorem hujus syllogismi propositionem ex propriis ejus principiis subvertemus.

(k) vid. supra § 7. (l) Part. II. Eth. Prop. XI. (m) ibid. Defin. VII.

§. IX. Afferit enim, mentem constitui ab idea rerum, lemures autem existere, quo jure quave injuria inficiari non dubitat, (n) negare tamen nequit, homines, imprimis infantes, eorum sibi concipere ideam; itaque argumentamur hypothetice; si idea rerum Mentis esse constituit, mens vero sibi concipit ideam lemurum, pro sententia Athei non existentium, sequitur, esse mentis constitui à non Entibus; posterius est absurdum, ergo & prius. Clara dubio procul erit ex his vanitas hypotheseos Spinozianæ. Admirari non subit, hominem, DEUM non esse summo Marte probare allaborantem, etiam eo insanix devenisse, ut mentis immortalitati eversionem inferre conatus sit. Idcirco missum ipsum facientes, aliorum de origine animi sententiam indagabimus.

(n) Epist. 57. &c.

§. X. Triplex vero Authorum circa Mentis originem, aut si lubet, propagationem, objicitur opinio: Hi enim eam e materiae potentia emergere, illi per inductionem, isti autem per traducem homini conferri, acriter defendunt. (o) Sententia prior vix declinare videtur ab absurditate; quodlibet enim sui simile producit, materia materiam, mens vero mentem: atq; sic quod mens immaterialis existens, cum corpore materiali nihil commune habeat, nequit e materiae potentia produci potest; id quod illustris Cartesius solidè ostendit: (p) Non obstante sententia Aristotelica, *animam hominis potentia semini inesse*: (q) per animam enim Aristoteles hic non intelligit portionem intellectualem, quam divinam esse & ab extra venire docet, (r) sed vitam animale, qua sentimus.

(o) Confer Poiret. l. c. p. 52. (p) de Methodo §. 5. (q) Lib. II, de Anima c. 3. (r) vid. infra §. 12. §. XI.

§. XI. Altera Philosophorum opinio est, qua mentem hominibus per inductionem conferri statuunt. Ast priusquam Eruditorum circa hoc negotium iudicium evolvamus, quid inductio quidve tradux sibi velint, exponemus. Per inductionem intelligunt novam creationem, qua mentes vel ipsi semini indigesto, ut statuit Gazæus, vel etiam hominum corporibus jam efformatis, aut tertio [sensu Thomæ Fieni] aut quadragesimo in masculis, nonagesimo vero in foemellis, [sensu Aristotelico] aut in ipso conceptionis die, septimo nempe, (s) infundi existimant: sive, inductio nihil aliud notat, quam novam animæ s. mentis in hominem inspirationem, ei, qua DEUS a facie sua protoplastæ spiritum inhalavit primum, ex asse similem. Tradux autem proprie significat propagationem, quando pars quædam ab arbore secta, in aliam transfertur; (t) quæ notio non est hujus loci; sed per traducem intellectum volunt ejus Patroni, propagationem mentium talem, qua mens à mente producitur, absque ulla producentis vel extensione vel divisione.

(s) Confer *Arist.* Lib. II. de anima c. 3. & *Anton. le Grand* Instit. Philosoph. p. 600. (t) *Arist.* de vit. & morte c. 3. D. J. Martini in Tr. de Comm. Idiom. c. 7.

§. XII. Certum quidem est, neque dissimulare possumus, nonnullos antiquorum novæ creationi calculum suum adjecisse videri, inter quos eminet Augustinus, (u) & Hieronymus, qui manifestum esse dicit, *DEUM existere Patrem animarum, non homines*, ideoque eos ridendos putat, qui existimant, mentes cum carne feri, & non a Deo, sed a corporum parentibus generari. (x) Quin nec ipsum Aristotelem ab illa horruisse sententia e verbis ejus constat, dicit enim, *mentem solam extrinsecus accedere & solam divinam esse*. (y) At nos semota verborum cortice sensum Hieronymi verum cum traduce non pugnare demonstrabimus. (z) Siquidem à Neotericis, inductionis defensionem suscipientibus, suamque de illa conjecturam non solum rationis subtilitate, sed & sacrarum paginarum oraculis probare gestientibus, diffuse allegatur.

(u) Lib. X. de Gen. (x) Explic. Eccles. 12. v. 7. (y) Lib. II. de anim. cap. 3. (z) vid. infra §. 17.

§. XIII. Ratiocinantur autem ita: Quicquid fit ex nihilo, illud non generatur, sed creatur; creatio enim est, quando ex nihilo aliquid fit, generatio vero, quando corpus quoddam in aliud mutatur corpus: Atqui mens fit ex nihilo, ergo non generatur, sed creatur. Verum ut minor a novæ creationis defensoribus non probatur, ita a Traducianis [liceat hac uti voce] hunc

in modum limitatur, ut quidem concedant, mentes non e materia ortum ducere, attamen prorsus eas e nihilo fieri, omnino negent, sicque vacillabit conclusio: Qua vero ratione mens filii *a parentum* mente, minime autem ex nihilo ad sobolem traducatur, hocce explicant simili: Quemadmodum flamma aliam accendit flammam, admota nempe ipsi materia ad ignem recipiendam idonea, nihil interim substantiæ suæ amittens, cum nec dividatur, nec minuat, ita etiam animus ab animo, modo materia recipiens apta adsit, traducitur, absque ulla mentis generantis vel extensione vel divisione. (a)

(a) *Scaliger* Exerc. 6. p. 37. *Scheibl*. Tr. de anim. P. III. Disp. 2. p. 377. *Sperling*. Tr. de Or. Form. p. 316.

§. XIV. At respondent infusionis Patroni, disparem esse rationem flammæ & Mentis, neque a materiæ multiplicatione ad multiplicationem Spirituum argumentationem justî esse valoris; Verum hæc illorum exceptio locum non habet, cum & ipsa Sacra Scriptura Descriptionem DEI O. M. à corpore humano petat, tribuendo ipsi manus, pedes, oculos, os &c. Si itaque quis Prophetas aliosque viros θεοπνεύστους ideo perperam fecisse diceret, nonne foret absurdus? Ne dicamus, simile illud non ad probandam, sed tantum ad illustrandam sententiam de traduce in medium afferri.

§. XV. Præterea insultant asserentibus traducem, quod mentem filii partem dicant esse mentis paternæ: (b) At æquum justumque foret, tantum beneficii & illis indulgere, quantum sibi ipsis largiuntur. Quippe flammam accensam partem flammæ accendentis esse, negare nequeunt, ideoque distinguunt, ne rudius philosophentur, inter partem propriæ & improprie acceptam. Hanc vero quam isti sibi capeffunt distinguendi licentiam, non immerito & traducis defensores sibi vendicant, atque eodem ut illi modo distinguunt: per partem vero improprie acceptam intelligunt tale quid, quod causationem sui alicui alii debet, cujus pars postmodum causatum, minus tamen propriæ, [ut monitum] dicitur, id quod ita explicant, ut statuunt, animas s. mentes filiorum non *ex*, sed *ab* animabus Parentum, non Parentis esse. (c)

(b) *Zeisoldus* in Tr. Tradux non Tradux, p. 49. (c) *B. Meisnerus* P. I. Philos. Sobr. Sect. 3. c. 6. q. 1. *Sperling*. Tr. de Or. Form. p. 238.

§. XVI. Variis itaque hæc Neotericorum plerorumque de nova animi creatione sententia, obtunditur dubiis, licet insuper ad sacri codicis testimonia provocent, quibus ejus veritatem illustrare ambiunt, primaria autem sunt Es. XLII. v. 5. Cap. LVII. v. 16. Zach. XII. v. 1. Sapient. XV. v. 11. Act. XVII. v. 25. Hebr. XII. v. 9. &c. (d) Verum ut supra §. 12. allegatum Hieronymi dictum, ita etiam hæc sacri codicis effata, nil aliud innuunt, quam ut

proben, Deum facere mentes, Deum esse Patrem mentium. Ast nullus eorum, qui hactenus traducem defendunt, [quantum quidem nobis constat] negavit, Deum animos hominum facere: Sed hic est controversiæ status, an Deus hodiernum *immediate* eos faciat? hujus negativam tenent Traduciani, usque dum non nudo conjecturatum glaucomate, sed certissimis solidisque rationibus contrarium probabitur. Adhæc Genes. II. dicitur Deus quievissse à manuum suarum operibus, ex quo instantia datur, si Deus jam tum opera sua faciendo absolvit, sequitur, animas hominum hodie non creari, sed generari, non obstante, quod Inducis Patroni contrarium a Christo dictari putent Joh. cap. XV, 17. Patrem nempe suum adhuc operari: Quippe Servator noster hic juxta communem interpretum sententiam de operatione in conservandis rebus, Moses autem ibi de primæva rerum productione loquitur.

(d) Confer. Zeisold. Tract. de anim. rat. productione & propagatione.

§. XVII. Itaque ut Traduciani mentem immediate a DEO procreari negant, ita constanter illud fieri defendunt mediante mente *Parentum*, quæ se ipsam in & cum semine e *parentibus* promovet. Ad quod quidem respondent novæ inspirationis propugnatores: si ita se res haberet, sequeretur, tot fore extituras mentes, quot vicibus semen vel petulanter ejaculatur, vel per nocturnas, quas vocant, pollutiones delabatur, aut etiam mentes tum evanescere & consequenter mortales esse.

§. XVIII. Liceat autem nobis objectionem hanc exactius examinare, & sic tribus conflata videtur membris: Primum formatur a petulanti & fere sodomitica seminis emissionem, quocumque illa in locum non debitum fiat modo. Quanquam itaque vix ac ne vix quidem inficiari audeamus, per protervam ejusmodi seminis ejectionem mentes potentialiter produci, actualiter tamen illud evenire negatur, quia primo cum natura mentis pugnat, non enim animus a materia pender ita, ut necessario, ubi materia est, ibi etiam mens esse debeat; secundo, quia mens non tantum a patre sed & matre conjunctis & affectuum & corporum motibus, qui animum ad sese promovendum excitant, propagatur, quo fit ut per simplicem seminis exturbationem nulla mens sese promovere possit. Ad alterum a pollutione nocturna desumptum membrum respondemus, dubium adhuc esse multis, an materia, quæ in somno e genitalibus delabatur, revera sit semen; sunt enim quidam, qui existimant, illam tantum liquorem quendam esse viscosum & quasi spumam seminis ebullientis: Sed misso hoc, ex superioribus constat, sequi indè non posse, quod volunt Induciani; Nam in somno primo non movetur affectus mentis *Parentum* ad promovendum se; secundo non adest conjunctio maris cum femina, ergo ex hypothese Traducianorum (e) nequaquam ex amissione seminis,

minis, quomodocunque illa fiat, mentium sequitur delapsus; Quod, cum probatum sit, simul & tertium objectionis tollit membrum, animas nempe neutiquam evanescere, quicquid enim non producit, etiam ad nihilum recidere nequit.

(e) vid. supra §. 15. in fine, item §. 17.

§. XIX. Hic iterum excipiunt Inductionis Defensores ratiocinando; si debita in locum debitum seminis immissio, affectus mentis motio & congressus Parentis utriusque, mentis productionem causatur, sequitur toties mentes produci, quoties coiverint Parentes. Verum respondemus, præter illas circumstantias requiri quoque materiam ad recipiendam mentem aptam & bene dispositam, itemque locum, in quem semen immitendum, non tantum debitum sed & idoneum; quæ omnia, si cum aliis requisitis adsint, mentis productionem promotura fore, nulli erit dubium.

§. XX. Altera ex allegatis superius (f) scripturæ dictis instantia, Deum esse mentium Patrem, non homines, ita limitatur, ut statuamus, locutionem hanc figurate esse intelligendam, id quod nec ipsimet Inductionis Patroni inficias ibunt. Si enim proprie, evanescet sane & subvertetur nova illorum creatio. Nam Patris est gignere, generatio autem & creatio sunt operationes toto coelo distantes; (g) Quicquid ergo generatur, non creatur; mentes hominum à Deo ceu Patre generantur, ergo non creantur. Hincque elicimus, Deum mentes nostras neque facere immediate, neque gignere proprie.

(f) paragr. 16. (g) supra §. 13.

§. XXI. Præterea culpæ datur orthodoxis traduci faventibus, quod Eva totam cum quoad corpus tum quoad mentem e costa Adami creatam esse velint, contra quod assertum Induciani argumentantur: Si Eva etiam secundum animam e costa virili facta, sequitur, animam intellectualem s. mentem e costæ materia productam esse, atqui absurdum est posterius, ergo & prius. Verum necdum vel hilum lucrifecere traducis adversarii; posito enim, non solum Adamo, sed & Evæ mentem a summo Cœli Terræque Rectore immediate collatam & inspiratam esse, minime tamen inde sequitur, etiam hodiernum immediata & nescio qua nova inspiratione animos hominibus conferri, quippe eadem foret consequentia; Eva e costa virili fabricata est, ergo & hodie omnes fœminæ e costa virili fabricantur.

§. XXII. Examinabimus autem adhuc aliud contra traducem argumentum, hisce constans terminis: Quicquid propagatur per traducem, illud extenditur & dividitur; atqui mens hominis propagatur per traducem, ergo: (h) Responsio facilis est, limitando maiorem, quicquid per traducem propagatur materialiter & proprie, illud extenditur atque dividitur,

mens vero nostra haudquaquam materialiter & proprie per traducem propagatur, ergo. Nam si Deus absque extensione & divisione sui, a facie sua Adamo inspiravit spiritum vitæ, nihil obstat videmus, quo minus mens Adami, omni ex parte imaginem Dei vividissimam repræsentans, produceret mentes alias absque ulla sui vel divisione, vel extensione, quæ neutiquam in mentem cadunt, cum sit a materia independens condita, id quod exemplo illustrabimus. Oportet si fuerit in animo cogitatio quædam, illa certe, nisi in primo originis momento suffocetur, millenas alias producet cogitationes, absque ulla sui & decidentia, & divisione & extensione. Quod si actioni a mente productæ vere tribuitur, multo verius de ipsa mente prædicabitur.

(b) *Joh. Clauberg. Theor. corp. vivent. thes. 623.*

§. XXIII. Novam hic paratam habent creationis tutores exceptionem, regerendo: Quia mens hominis sic condita est, ut [quod conceditur] esset a materia independens, necessario & propagatio illius independentem a materia fieri debet, juxta canonem, *qualiter se res habet in esse, taliter etiam in fieri.*

(i) At distingvendum est, inter independentiam a materia absolutissimam, quæ soli Deo propria est, & inter independentiam secundum quid. Anima enim hominis s. mens ita quidem a materia non pendet, ut esse suum reale materiæ acceptum referat, attamen, nec ipsimet a propagatione mentis per traducem alieni, negabunt, eatenus illam a materia dependere, ut absente materia ad excipiendam eam idonea, i. e. corpore organico, neq; creetur, neque traducatur, habet enim facultatem ad corpus, ob cujus perfectionem creata, appetitivam. Equidem posset Deus condere eas sine corpore, sed a posse ad esse non valet consequentia; neque juvat illos canon citatus, cum nulla sit ejusdem cum argumento opposito connexio: contrarium potius suppeditat; mens namque in esse ita se habet, ut sit vi compositionis cum corpore, ergo etiam in fieri se ita habebit, ut sit cum corpore.

(i) *D. J. Martini Cent. 4. Disp. 9. p. 176.*

§. XXIV. Palmaris adversus novam mentis creationem adducitur ratiocinatio: Si Deus de novo creat animas hominum, sequitur, Illum esse peccati causam, malos enim sic conferret nobis animos; atqui absurdum est posterius, ergo & prius. Excipiunt quidem, Deum, quemadmodum mentem Adami *ἀναμάρτητον*, i. e. sine peccato condidit, ita hodiernum nostras creare posse animas puras, non obstante, quod postea junctæ cum corporibus, peccatis sese inquinari patiantur. Verum sic contra confessionem Davidis, (A) disertis verbis ingenue testantis, se ex semine peccati genitum, & in peccato conceptum esse, originis peccatum tolli videretur. At horum decisio jam Theologis committenda erit: Interim, cui hæc tanti sunt,

sunt, evolvere poterit *Mich. Schäfer. de orig. anim. Sperling. Tractat. de Orig. Form. item de Traduce, item Antiparascève pro Trad. Job. Erasm. Stomagr. de Traduce, Christoph. Sanda. Tract. de Orig. anim. J. C. Durrium de propag. Anim. Zeisoldi Tractatum, Tradux non Tradux, item de anima ejusque productione &c. Chemnitii Tom. I. Loco de Peccato Originis c. 4. Hassenreiff. Loc. Theol. Lib. 3. p. m. 236. Jaccheum Lib. 9. Phys. c. 3. &c.*

(k) Psalm. 51. v. 7.

§. XXV. Progredimur jam ad pervolutionem Substantiæ & Naturæ Mentis, atque primum quidem sententiam antiquorum Philosophorum sistimus, inter quos mentem, sive animam *nihil omnino, nisi nomen inane esse*, dixit *Dicaearchus*, (l) quem tamen ut *ἄλογον*, atque contra ipsosmet sensus latrare ausum, missum facimus. *Zeno* autem Stoicus animam putavit esse ignem: *Pythagoræ* eandem ex aëris ramentis conflata, statuere: *Empedocles* vero ex omnibus elementis illam constare sensit, cui sententiæ calculum adjecit *Plato*, in *Timæo*: (m) Ast *Heraclitus* vaporem animam constituere asseruit. (n)

(l) *Cicero* Tusc. q. Lib. 1. (m) *Idem* ibid. Lib. 3. (n) Confer. *Arist.* Lib. 1. cap. 3.

§. XXVI. Sed quemadmodum vox *anima* in ore Authorum allegatorum frequens est, ita procul dubio hæ illorum opiniones animam concernunt animalem, h. e. eam, qua vivimus, quaque sentimus, (o) id quod ex *Aristotele* probatur, qui philosophando de mente, eam *divinam* dicit & *ab extra venire*; de anima autem differens, materialitatem ipsi tribuit. (p) Alii mentem homini datam esse ex sempiternis illis ignibus, quæ sidera stellæque vocantur, existimavere. (q) Quæ omnia, si de anima vegetante intellexere, absurda non sunt, si vero de mente intellectuali eadem tradidere, graviter sane in rei veritatem impegerunt.

(c) Supra §. 3. (p) supra §. 10. 12. (q) *Cicero* de Somn. p. m. 129.

§. XXVII. Rectius alii docuere, animam [si mentis notionem induat] esse coelestem, ex altissimo domicilio depressam: (r) *Xenocrates* vero animam appellando mentem sine corpore ullo, rem fere acu tetigit, (s) imo *Euripides* non dubitavit animum Deum dicere. (t) Ast *Seneca* Mentis substantiam non ex terreno & gravi concreatam esse corpore, sed ex coelesti illo spiritu descendisse, (u) jam vero etiam partem mentis divinæ esse, ait. (x) Atq; ita & gentiles, sola natura docente, invenerunt, mentem sublimiorem agnoscere originem & substantiam, quam caducam fragilemque materiam. Quippe sublimius philosophando *Pythagoras*, non dubitavit præcipere, *animum esse Deum, per naturam rerum omnem intentum & commeantem, ex quo animi nostri carpantur.* (y) Hæc vero de Antiquis.

(r) *Cicero* de Senect. (s) *Idem* quaest. Acad. (t) *Idem* ibid. p. m. 44. (u)

Consolat. ad Helv. c. 7. (x) *Idem* Epist. 120. (y) *Cicero* de Nat. Deor. Lib. I.

§. XXVIII. Modernorum Philosophorum obvii sunt nonnulli, qui mentem putant esse imaginationem meram; at multum isti falluntur: Quippe homo sic nullatenus fere bruta antecelleret, cum nec illis omnis imaginem concipiendi facultas, denegari queat. Præterea nemo inficiabitur, nos nobis imaginatione melioris quid conscios esse, ex quo sequitur, necessario in nobis aliquid imaginatione nobilius existere. Nam experiuntur tranquilli, mentem supra omnem imaginationem assurgere, & appetitu in tale quid tendere, quod omnem superat ideam, quodque distincte nulla concipi potest imaginatione, igitur evidentissimum est, mentem omni phantasia longe superiorem esse.

§. XXIX. Ut vero nostram de natura mentis demus sententiam, fate-mur cum recte sentientibus cunctis, mentem vere existere & principium esse agens, non obstante, quod quidam hoc existentiae Dei derogare, sibi persua-deant, (a) argumentando, si datur aliquod esse & principium agens extra Dei essentiam & a Deo realiter distinctum, sequitur, Deum non esse summum, non omnia a Deo pendere, Deum non esse omnia, & aliquid ipsi addi posse, &c.

(a) Confer. *Malebranche* Scrutin. Verit. Lib. VI. P. 2. c. 3. & ex eo *Poiret* l. c.

§. XXX. Tentabimus autem talia objicientibus rite satisfacere, adeoque respondemus, existentiam atque activitatem mentis existentiae Dei ejusque potentiae ne quicquam detrahare, sed potius illam exaggerare; quo enim excellentioribus creatura rationalis pollet facultatibus, eo magis Creatoris omnipotentia & magnificentia eminet: Jam vero quid præ corporibus, earumque affectionibus, mens nostra [cujus divinitatem & ipsi gentiles solius naturalis cognitionis persuasionem, prædicavere] nobilitatis atque excellentiae haberet, si activitate & existentia careret? Verum ut res accuratius intelligatur, notandum erit:

§. XXXI. Deum voluisse in homine semetipsum, suamve ideam realem, vivide quidem, attamen extra se, exprimere atque repræsentare, illud autem non corpore, sed mente factum esse nulli erit dubium. An vero animus noster, existentia atque activitate privata, vividum jam Dei foret exemplar? Nonne liquido sequitur, mentem necessario & habere existentiam, & esse principium agens, inadæquate tamen ad Deum, h. e. ita, ut habeat existentiam atque Principium agendi, ab existentia & actibus Dei distinctissimum, id quod ita intelligendum.

§. XXXII. Deus existit in se & per se absolute, natura sua solus sibi sufficiens in existentia sua, mens vero imago Dei vividissima, facta ab ipso ad si-mili-

militudinem suam extra se, non per se, sed per Dei [in quo est, vivit atque movetur] potentiam ex donatione divina ac extra essentiam divinam ut existentiam absolute spectatam existit, neque sibi soli in natura sua sufficit, sed semper ad originem suam tendit.

§. XXXIII. Pari ratione mens est principium agens, absque omni imminutione omnipotentiae Dei, ita quidem, ut Deus solus absolute omnia & independentem ab ullo alio agat, quaecunque Ejus placent sapientiae, mens autem humana, non absolute, sed dependenter a Deo, actus suos naturae suae competentes edit, atque ita, quia Deus est causa mentis principalis efficiens, etiam principium agendi, illi a summo Numine collatum, ipsiusmet Dei effectus est atque opus. Hinc non nisi absurde activitas mentis negatur ab illis, qui tamen existentiae ejus convicti sunt, si enim Deus menti esse & existentiam dedit, multo magis ipsam & activitate ornavit, qui enim praestat majus, plus plusque dabit & minus.

§. XXXIV. Probata itaque existentia & activitate mentis, substantia ejus recte jam definitur, *quod sit Ens a corpore distinctissimum, & ab eo separabile*. Licet enim in corpore habitare, & cum corpore unita dicatur, vi compositionis, attamen neque corpus suum tangit, neque unum idemque est cum illo. Quippe animus noster est immaterialis, cum enim sit res cogitans, corpus vero extensione afficiatur, tanta naturae corporeae a mente differentia emergit, ut nullum attributum commune habeant, (b) adeoque magis distinguitur animus a materia, quam mens a mente, mentes namque, quanquam sint diversae numero, speciei tamen & essentiae sunt ejusdem, materia vero atque mens diversissimae & distinctissimae prorsus sunt substantiae.

(b) Anton. le Grand Instit. Phil, p. 688.

§. XXXV. Ut autem asserti illius, mentem nostram non esse, nisi cogitationem sive rem cogitantem, veritas pateat, distingvere solent inter cogitationem quae cogitat, & inter illam, quam cogitamus, adeoque non haec, sed illa essentiam s. naturam mentis sistit, id quod probatur exinde, quia cogitando scimus nos existere, sublata vero cogitatione, aufertur etiam cognitio existentiae & consequenter ipsa mentis existentia.

§. XXXVI. Solent quidem nonnulli varias in hanc sententiam parare objectiones; veruntamen, nec desunt asserentibus responsiones, quas paucissimis delibabimus. Occurrit itaq; argumentum sequens; si cogitatio naturam vel essentiam mentis humanae constituit, sequitur mentis existentiam cessare, cessante cogitatione, atqui absurdum est posterius, ergo & prius. Respondent, argumentum esse falsissimum, supponitur enim, quod supponendum non erat, siquidem hoc est in quaestione, an cogitatio unquam cesset? Negativam tuerentur, [contra Authorem Libri de Intellectu humano] qui affirmativam de-

fendit, (c) eamque probant, tum ratione, cum authoritate. Supposito namque hoc, quod mentis substantia & natura sit cogitatio, nullo modo admitti potest, cogitationem cessare, sic enim cogitatio non foret substantia, sed attributum mentis. (d) Adeoque ratiocinium modo allatum, vel non connectit, vel etiam fallaciam Synonymiæ committit, dum cogitationem activam, cogitationi passivæ, de qua sermo est, substituit.

(c) *Job. Locke* Lib. I. c. 1. (d) Confer. §. 39.

§. XXXVII. Neque ulla ulterius ratione demonstrari posse putant, hominem non semper cogitare, quamvis pauci quidam illud ex eo probare laborent, quod homo dormiens non cogitet. At iterum contra Logicam impingere accusantur probantes obscurum per æque obscurum. Est enim principii petitio, an nempe non cogitemus dormientes; Quippe nihil impedit, quod cogitationum menti in somno obviarum, expergefacti non recordemur: Aliud enim est, esse conscius cogitationum suarum, eo quo cogitamus temporis momento, aliud vero easdem postea in mentem revocare; illud nobis in somno cogitantibus semper evenit, nullam enim mens patitur corpore dormiente cogitationem, cujus non eo momento sibi sit conscia, hoc vero rarissime in nostra est potestate, eo quod, somno alto impediti, cogitationes occurrentes, memoriæ firmiter infigere haud potis sumus. (d)

(d) *Cartes. Epist. Part. II. Ep. VI.*

§. XXXVIII. Suam porro sententiam probare connituntur contradicentes, spoliando infantes cogitatione, concedendo tamen ipsis mentem, adeoque argumentantur: Quicquid abest a re aliqua sine detrimento rei, illud non est substantia ejusdem, atqui cogitatio abest ab infantibus absque detrimento mentis illorum, ergo. Verum minorem negant Recentiores atque pernegant, ex allatis §. 36. 37. rationibus, ne minimum quidem obstante, quod infantes ad adolescentiam excrecentes, prodere nequeant, an, & quid vel in uteri materni abyssu latentes, vel primam pueritiam agentes, cogitaverint, siquidem non immerito absurditatis argueretur, qui sic concluderet; hic ille vir doctus non recordatur eorum, quæ ante aliquot annorum decades legit, ergo prorsus non legit: Ut taceamus ad cogitationum cursum perpetuo continuum probandum, non requiri intellectualem cognitionem, sed sufficere sensualem perceptionem, cum hujus, non vero illius opus sit. (e)

(e) *Poiret Cogit. de Deo &c. p. 82.*

§. XXXIX. Sed iterum objicitur, homines quoslibet plures habere cogitationes, ergo etiam plures mentes: Verum superius distingui audivimus inter cogitationem cogitantem & cogitatam; Adjicitur, cogitationem in sensu speciali, quando ad quædam objecta determinatur, esse solummodo

modo actionem, & consequenter non ipsam mentem, sed tantum mentis attributum, in sensu vero lato, [quo quidem una, sed variabilis est] esse substantiam agentem, & sic mentem ipsam. *Cartesius* ita suum de cogitatione substantiali explicuit sensum, ut per illam non quidem universale quid, omnes cogitandi modos comprehendens, sed naturam particularem, omnes illos recipientem modos, intelligeret. (f) Quæ sententia nec antiquorum Philosophorum succursu destituitur, absque ulla enim hæsitazione fassus est *Seneca*, (g) Mentem semper cogitare, eo quod sit natura cœlestis, quæ non possit non semper in motu existere; Ei calculum adjicit *Cicero* aliique dicentes: Animum semper agere aliquid, neque ulla conditione quietem sempiternam pati posse. (h) Adeoque mens, cum otii sit impatiens, (i) nec alios edat actus quam cogitationes, semper cogitare concluditur.

(f) *Cartes.* P. II. Epist. VI. (g) *Consol. ad Helv.* cap. VI. (h) *Lib. I. de finibus.* (i) *Ephraem Syrus*, in *Operibus* T. II. p. 290.

§. XL. Restat ut inquiramus, an mens nostra, ut multi loqui amant, particula sit auræ divinæ? affirmativam omni posthabita dubitatione tradit *Seneca*: (l) Verum si quis proprie mentem divinæ auræ partem esse, intelligere vellet, multum impingeret, cum sic adæquatæ ejusdemque cum Deo foret essentiaæ atque dignitatis, sine ulla distinctione. Alii sunt, quibus lubet mentem nostram umbram Dei dicere; at justo minus hi animo tribuunt, quatenus enim Deus divinitatem suam per illam vivide repræsentare voluit, eatenus ne utique umbra audire debet, est enim vividissimum Dei exemplar: limitare vero appellari poterit umbra, radians & vivens vita Dei, quatenus ab ipso Deo est. Accuratissime omnium mens dicitur principium vividum sentiens, percipiens, potens omnia objecta intelligibilia percipere, & se circa illa determinare. (m) Sinto autem hæc satis de natura atque substantia mentis.

(l) Epist. 120. (m) *Poiret* l. c. p. 81. in notis.

§. XLI. Paululum adhuc immorabimur affectionibus mentis, quæ sunt immortalitas & facultates; immortalitas autem est, qua animus, licet corpus intereat & moriatur, nequaquam tamen deficit, sed vitam vivit sine fine.

§. XLII. Ast fuere olim & hætenus sunt, qui non erubescunt fronte, audaci asserere, mentem cum corpore extingui; Illorum Antesignanus fuit *Epictetus*, (n) & cum ipso faciunt omnes athei. Immo ipsemet Philosophus primo intuitu eandem fovere opinionem videtur, qui vero penetralia ejus adiit, fatebitur, illum mortalitatem ne utique menti intelligenti, sed animæ vegetanti, & cum corpore intereunti ascripsisse. Cum illum non lateret, nullam esse connexionem, si quis ab interitu corporis ad interitum mentis argumentaretur.

(n) *Cicero* *Tusc. quæst.* Lib. I.

§. XLIII. Mens enim prorsus nec a corpore suo, multo minus ab ulla alia materia dependet absolute, imo ne hilum quidem cum corpore commune habet: (o) qui igitur posset fieri, ut corpus, [quod nec creavit nec sustentat mentem] jamjam mortem patiens, interitum s. cessationem existentiae animi causetur? Hinc argumentamur, a quo non dependet esse rei cujusdam, ab eo nec interitus illius rei pendeat; atqui mentis esse non dependet a corpore, ergo nec ejus interitus a corpore pendere potest. Sicque futilis Epicuræorum opinio de nihilo esse, mentis autem corruptionem e morte corporis haud quaquam sequi, manifestum est.

(o) vid. supra §. 23. 34. seqq.

§. XLIV. Verum solidioribus adhuc animi immortalitatem probabimus argumentis, & quidem ante omnia ex natura ejus, supra enim demonstravimus, (p) illum omni ex parte esse immaterialem, nec vel gry cum corpore participare, sed prorsus diversis, imo contrariis corpori, gaudere affectionibus. Hoc itaque supposito, sequitur, mentem esse incorruptibilem, nam ob immaterialitatem neque secerni, neque dividi, neque discerpi, nec distrahi, nec imminui potest, ergo nec interire; (q) Quippe sic ratiocinamur, quod nec secerni &c. potest, illud non est obnoxium interitui sive mortalitati; Atqui mens &c. Major æque ac minor verissima est nec ab ullo sincero candidoque negatur, ergo conclusio firmissimo stabit talo.

(p) vid. supra §. 34. seqq. (q) Cicero Tusc. q. Lib. I.

§. XLV. Ulterius mentem post corporis defectum remanere, & consequenter ejus incorruptibilitatem probamus exinde, quod sit substantia cogitans: ergo est res inextensa; ergo corpore corruptioni obnoxio ad operationes sibi proprie speciales edendas, non indiget, ergo cogitare potest sine corpore, ergo immortalis erit. Hæc quamvis liquido connectant, nihilofecius impugnantur a nonnullis, dubitantibus, an mens corpore ad agendum opus non habeat; idcirco assertiones nostras pluribus roborare conitemur.

§. XLVI. Itaque mentem sine corpore actiones suas agere posse, patet ex natura actionum ejus, quæ cum sint cogitationes, res sunt inextensæ: qui vero actus inextensus opus habebit organo materiali extenso, nempe corpore ut edatur? an indiget angelus, qui non nisi mens est, extensa materia, quo existat angelus? par ratio in hoc passu est mentis humanæ; argumentamur igitur: A quo non dependet existentia mentis, ab illo neque dependent operationes ejus, atqui a corpore non dependet mens, (r) ergo nec cogitationes, qui sunt actus mentis. Hinc manifestum est, animum sine corpore agere posse. (s) Dicunt autem alii, mortuo corpore mentem ad

tempus cessare ab omnibus cogitationibus: Contrarium vero demonstratum modo est ex natura mentis.

(r) vid. supra §. 23. 34. (s) Confer. Reiher. Marg. Philos. p. 83.

§. XLVII. Nec spernendum immortalitatis argumentum est, quod & ipsimet gentiles in conscientia sua convicti, non potuerunt non vel metuerent poenam post decessum a sceleratis dandam, vel sperare præmium, bonis atque iustis omnibus largiendum: Item quod colerent manes defunctorum, adeoque ex his quam luculentissime patet, illos, corpore mortuo, mentes superstites credidisse.

§. XLVIII. Adhæc immortalitas mentis ex ipsis quoque Dei attributis probatur, contra illos, qui ex potentia Dei concludere affectant, eum forte mentem annihilaturum. Nam præter id, quod a posse ad esse consequentia non valeat, quodque nec ipsum cadaver mortuum ad nihil prorsus redigatur, vix credibile est, quenquam, qui Deum constantem esse, neque a semetipso dissentire, novit, inficias iturum, evenire non posse, ut imago atque idea Ejus vividissima, ab illo immortalis creata, jam ipso disponente, existere desinat: Quippe, cum illam semel ita creaverit, ut esset immortalis, sequeretur, si eam destrui pateretur, ipsum propositum suum, quo eam condidit incorruptibilem, exequi atque tueri non posse, quod est absurdum. (t)

(t) Confer. Cartes. Med. in Resp. secundis num. 7.

§. XLIX. Secundo, quia iustissimus est Deus O. M. non solum ad puniendum malum, sed & ad remunerandum bonum ex voluntario iustitiæ suæ perfectissimæ præscripto tenetur: Si vero mentes nostras annihilari pateretur, foret ille sane injustissimus. Ut plurimum enim impiis omnia in hoc mundo cadunt secunda, pii autem strenuique Numinis divini cultores, opprobriis multis variisque afflictionibus expositi cernuntur; E dictis autem argumentamur: Quicquid nequit ab ulla annihilari creatura, & cujus annihilatio Dei deturparet attributa, illud omnino est immortale; atqui mens humana a nulla creatura annihilari potest, ejusque annihilatio deturparet Dei attributa, ergo omnino est immortalis. (u)

(u) Confer. Poiret II, cc.

§. L. Tandem mentis immortalitas etiam ex eo probatur, quod homo naturalem immortalitatis appetitum habeat. Obijciunt quidem nonnulli, non omnibus ejusmodi inesse desiderium, cum multi prorsus negant & adhuc hodie negent animi incorruptibilitatem. Verum ad cujuslibet conscientiam provocatio fieri posset, an dissimulare queat, se nec interdum solidam quandam immortalitatis impressionem sensitisse, non obstante, quod perverso & rabido malitiæ habitu eam suppresserit, ne dicamus prorsus eradic-

dicarit. At non erimus diffusiores in veritate tam manifesta, sed ulterius tendentes, in dubia a quibusdam circa facultatem animi primam, intellectum nempe mota, inquiremus.

§. LI. Facultates animus præcipuas habet tres, intellectum, voluntatem, & potentiam agendi. Intellectus est facultas, qua mens objecta cum materialia tum immaterialia cognoscit. Voluntas est facultas mentis, qua fertur in objectum sine appetitu sensitivo; sive, qua res ab intellectu cognitas, vel sequimur, vel averfamur; estque vel simplex vel determinata, illa homo simpliciter fertur in omne bonum, sive illud sit realiter verum, sive tantum apparens; hæc autem est appetitus rationalis, qui sese circa certam media, quibus mediantibus aliquod bonum desideratur, determinat. Potentia agendi est facultas animi, qua non tantum semetipsum, sed & alia objecta extra se movere potest; [ex eo autem, quod mens se ipsam moveat, quidam ejus immortalitatem concludunt. (x)] movet vero se ita, ut ubi esse vult, esse queat. (y) Dubia, quæ circa intellectum hac vice occurrunt, sunt sequentia.

(x) Cicero Tusc. q. Lib. I. (y) Confer. Reiher. II. cc.

§. LII. Quæritur, an mens sine corporis auxilio, id est, sine phantasia cognoscat vel intelligat res? negative respondet Aristoteles, (z) nos vero ut supra (a) coepimus, ita ulterioribus argumentis affirmativam tueri pergemus. Res itaque, quas animus cognoscit, sunt vel immateriales, vel materiales; illæ, cum corpore careant, non opus habent, ut per organa corporea cognoscantur, sicque mens eas capiet sine ope phantasiæ, qua corpus afficitur organicum; objecta autem materialia, cum sint corporea, administrante quidem phantasia percipiuntur, ita tamen, ut soluto corpore eo distinctius animus penetret illa, vivente homine, per imaginationem ipsi tradita, quo minus jam materiæ moles obstaculi, ne occultas rerum causas perfecte contempletur, illi confert: neque impedit, quod deficiente phantasia cogitationes quidem perturbentur, hocque non respectu mentis, sed corporis, ita, ut in sensus corporeos distincte cadere nequeant. Hinc & Cartesius *duplicem cogitandi atque memoria vim admittit, quarum altera intelligit sine ope ullius facultatis corporeæ; altera, que ad imagines, in cerebro depictas sese applicat: Item memoriæ vis altera est spiritualis, altera corpore indiget organico*: (b) illa, circa immaterialia, hæc circa corporea sese occupat.

(z) de Anim. Lib. III. c. 7. (a) §. 45. 46. (b) Epistolar. Part. II. Ep. 3.

§. LIII. Alii intellectus præcellentiam labefactare conantur, negando, menti innata esse principia; horum vero omnium summa illuc opera tendere videtur Anglicus quidam Author; (c) Licebit autem nobis argumen-

ta ejus paululum expendere. Illorum itaque primum petit ab infantibus, afferendo, illos nullis Principiis esse imbutos, ratio, quia nec malum, nec bonum, nec ullas alias res cognoscunt. Ast contrarium suggerit experientia quotidiana, nisi enim ideam boni malique sive veri sive apparentis haberent, nunquam neque illud appeterent, neque hoc fugerent, quod tamen toto fit die. Ergo innatae sunt illis rerum ideae, aut si mavis, principia cognoscendi bonum atque malum, licet cognitio illa sit confusior; adeoque certum est, *infantes non quidem intellectiones puras, veruntamen rerum sensationes confusas habere*; (d) Adminiculo autem doctrinae erudiuntur, ut accipiant distinctam mali bonique cognitionem.

(c) *Job. Locke* Tract. de Intellect. Hum. Lib. I. cap. 2. 3. &c. (d) *Cartes.* Epistolar. Part. II. Epist. 4.

§. LIV. Pergit Author noster contra Principia Practica insurgere, argumentando a diverso fine & scopo, quem homines actionibus suis virtutis atque honestis definiunt, dicens, Theologus aliam rationem dat, cur conventis standum, Hobbins Politicus alium habet scopum ejusdem virtutis, & Philosophus iterum alium. Primus namque considerat, Deum, a quo vitae & mortis pendent arbitria, id postulare; Secundus omnia ad salutem Reipublicae fieri debere putat; Tertius autem pro scopo habet honestatem. Atque ex hac varietate scoporum, quos quilibet pro lubitu, actionibus & regulis suis moralibus praefigit, concludere vult, principia practica sive virtutem non esse ingenitam, sed ut plurimum commendari, quia utilis; hinc argumentum; Quicquid a diversis ex diverso fit fine, illud non est innatum, atqui virtutes, fiunt ex diverso fine, ergo.

§. LV. Verum ratiocinium hoc minus solido nititur fulcro, id quod uno alterove declarabimus exemplo. Si quis a concubitu hunc in modum argumentaretur: Christianus verus, cui solius Dei gloria in omnibus actionibus curae cordique est, modice concumbit, cum quidem in finem primario, ut liberos ad honorem Dei gignat; Philosophus moralis ethnicus concumbit modice, ut satisfaciat summae necessitati naturae; Impius vero nequam concubitu exercet ex mera libidine; ergo concubitus non est naturalis: item de cibo, Christianus ut omnia sua edit opera, ita & cibum capit ad honorem summi Nominis; Philosophus gentilis comedit ob naturae necessitatem; Gulosus autem ac luxoriosus vorat, quaecunque ipsi sapiunt, ob voluptatem, quam inde habet; ergo tot edere non est innatum aut naturale. Nonne conclusiones forent absurdae?

§. LVI. Ast, ut directe ad argumentum respondeamus, infirmissimo illud stare talo dicere non veremur; Major namque propositio limitationem

patiendi ita, quicquid a diversis ex diverso fit, non fine, sed perſaſione, illud non eſt innatum, falſiſſima eſt: Si autem ſuo, in forma ab Authore noſtro formata, conſtaret pretio, minorem tunc pernegaremus. Aliud enim eſt, ex diſpari principio ſive fine, aliud ex diſpari perſaſione aliquid facere: e. g. Principium eſt, *bonum eſſe amplectendum*; hunc finem habet Theologus, habet eundem Philoſophus æque ac Politicus nec non unusquiſque nequam, atque ſic in uno eodemque ſcopo ejusdem rei omnes conveniunt; ſunt autem diverſimode de hoc bono, quod finis illorum eſt, perſaſi, vel ob præjudicia, vel etiam ob bonum malumve habitum, cui a pueritia in ſenectam uſque aſſueſcunt. Ille enim Deum, iſte vel honeſtatem, vel Reipublicæ & conſequenter propriam ſalutem temporalem, hic vero abdomini ſuo natus, ventrem pro bono ſuo habet. Negamus igitur, actus quoscuſque virtuoſos, ſ. veros ſ. apparentes, edi e diſpari principio ſ. fine, & ita toto ſubverſo argumento nil hucusque ab Authore contra principia innata probatur.

§. LVII. Aliud ejusdem fere ſortis argumentum in promptu ipſi eſt, deſumptum a Latronibus, quos principiis innatis privat; fatetur tamen, illos ſervare leges, de quibus inter ſe convenerunt, aſt dicit, hoc non fieri ab illis ob legum bonitatem, ſed ob earundem utilitatem. Vix videmus, qua ratione exinde Author principia innata impugnare poſſit, cum vel contrarium ſuggeratur: Sed quid multis, ipſemet veritatis ſplendore adactus eſt confiteri, *innatam illis eſſe cupiditatem beatitudinis, & miſeriæ averſionem*, quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, principium generale practicum eſſe inſitum, nempe, *bonum eſt amplectendum, malum vero fugiendum*. Jam, quia latrones aliiſque perversi, ex pravo mentis habitu, bonum ſuum, cæteris paribus, in eo locant, ut cum vitæ ſuæ ſociis, quanquam alios violando, bene vivant, ad hoc vero requiratur, ut *pactis ſtetur, unicuique ſuum tribuatur*, &c. neceſſario ſe ad talia facienda, *natura ipſa docente*, obſtriſtos ſentiunt.

§. LVIII. Hinc limpidiſſime concluditur, principia & ipſis latronibus eſſe innata, ſi enim ſecus, vel ex doctrina vel ex praxi aliorum ea didicere; poſito vero & hoc; unde igitur illi antecellentes eadem acceperunt? iterum, forte a majoribus ſuis, & ſic uſque ad protoplaſtum: Protoplaſto vero innata fuiſſe, nec Author negabit; Si hoc, quid obſtat, quo minus & poſteris ejus? Quaquaverſum ſe vertat Author, principiorum convincitur innatorum, nihil præpediente, quod ulterius aſſerat, eos, *qui ſcelere & maleſicio paſcantur, a natura hauſiſſe principia veritatis & juſtitiae, non poſſe dici*; nam per malitiæ habitum ſive conſuetudinem, quæ altera eſt natura, crebrisque actibus ſceleſtis attrahitur, principia illa vel ſupprimuntur, vel exciſcuntur.

§. LIX. Porro inficiatur Author, principia innatae conscientiae terrore concludi debere, ad quod probandum multa in medium profert exempla facinororum ab his illisve, sine ullo conscientiae scrupulo patratorem, e. g. Populum quendam infantes recens natos, fame necandos exposuisse in agris; *Charibaeos* liberos suos saginatos comedisse; *Turcas* hominem sordidum, non maris nec foeminae, sed aënae & mulae concubito rem pro divino & magno sancto habuisse.

§. LX. Verum primum exemplum potius contra Authorem militat: Sine dubio enim populus ille spuris tantum adeo durus fuit, eum quidem in finem, ut malitiam scortorum reprimeret atque castigaret, suggerente principio ingenito, *malum esse detestandum*. Secundum exemplum ejusdem est valoris, nam Charibaei tantummodo liberos ex mancipiis natos, in quos jus vitae & necis habebant, saginatos devorare, & quidem dictante principio innato, *bonum esse faciendum* s. amplectendum; Quippe, quia perverso praëjudicio, bonum suum in voluptate quærebant, caro autem infantum voluptatem illis conciliabat, ex dicto principio veriti non sunt eos mactatos comedere: Tertium exemplum solum probat, *Turcas* nostra quidem sententia, minime vero illorum more, incastos impudicosque esse, quemadmodum nec Americani ideo impudici audiunt, quia nudi incedunt. Nullus honestus civis, ne dicam Christianus, non detestabitur foedissimum sodomiae peccatum, Turcae autem, ab obscœnissimo illo impostore Muhammede, turpissime decepti, illud pro malo tanto non habent, nec tamen inde sequitur, castitatis Principium ipsis non esse innatum, cum omnino ipsum exemplum allatum, eos a *scortatione & mæchatione* abhorrere indicet. Ergo exempla illa nihil probant.

§. LXI. Tandem quoque ideam, vel notitiam Dei naturalem mentis innatam esse negat, primo, quia Turcae [ut jamjam dictum] hominem obscœnum pro divino & sancto habuerint; secundo, quia Siamitæ & Chineses, nullum numen agnoscunt; (e) Tertio, quia solis idea non est innata. Quicquid autem dicat, probatione ubique caret. Primum enim exemplum non monstrat, DEI ideam Turcis non esse innatam, sed Deum non recte ab illis coli: Secundum, ex relationibus aliis, (f) falsum esse constat, cum Chineses fana sua, suosque habeant sacerdotes, ergo & sanctos [e. g. Confutium] Deosque, aut si placet, genios vel numina agnoscunt. Tertium est absurdum, eadem enim est ratio argumenti, qui nunquam vidit foræcem, ille nec unquam vidit solem. Si dixisset, lucis ideam non esse innatam, ergo nec Dei; quandam veritatis speciem præ se tulisset, cum lux inadæquatam aliquam ad Deum relationem habeat, sol vero in abstracto considera-

tus, prorsus nullam; sed tum prius fuisset probandum. Tacebimus autem, & ethnicos disertis verbis, *naturam Dei notionem in animis hominum impressisse*, (g) tradere. Neque ad Apostolum Paulum de hac materia verba fundentem (h) provocabimus, manum impræsentiarum, potius de tabula remoturi

(e) *ibid. Locke Cap. IV. §. 8. Confer. La Loubere du Royaume de Siam, T. I. c. 9. Sect. 15. &c. (f) Le Comte in Descript. Chinæ. (g) Cicero de Nat. Deor. Lib. I. (h) Rom. 2.*

§. LXII. Hæc itaque sunt, benevole Lector, quibus hac vice ingenio-
lum nostrum, paucis de mente humana philosophando, exercere, animus
erat: Diffusior hujus materiæ, in primis eorum, quæ facultatem mentis loco-
motivam, ejusdemque localitatem (i) item & accidentia concernunt, dedu-
ctio in promptu fuisset, sed prolixiore excursionem injurii esse, tuaque abuti
patientia & humanitate, nolimus, quam tamen, qua par est modestia ro-
gamus, ut, qui tuus erga nos erit favor, conatibus nostris favere, & si qui ob-
vii fuerint ævi, æquo animo tolerare, nec non amice emendare, ne de-
dignetur.

(i) Confer. interim *Cartes. Part. II. Princ. Philos. item de Pass. Art. XXXI.*
item Epist. Part. II. Epistola XXXVI. Cicero Tusc. quæst. Lib. I. Job.
Glaub. in operibus Philos. p. 253. Anton. le Grand Instit. Philos. p. 625.

F I N I S.

A D D I T A M E N T A.

Nullus numerus est infinitus.

I.

Omnis res, quæ sub numerum cadit, est finita.

II.

III.

Nullum fuit tempus, quo nullum fuit Ens; ergo datur Ens quoddam infi-
nitum.

IV.

Nullum finitum est causa sui, ergo Ens illud infinitum.

V.

Ens illud infinitum, quia condidit omnia, est potentissimum & sapientissi-
mum, atque consequenter Deus.